



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

88. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

De continentia Sacerdotum. *Ex Concilio Neocæsariensi cap. 1.*

Burchard. lib. 2. c. 108. LXXXIV. Presbyter si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, ampliùs pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. Simili modo etiam Diaconus, si eodem peccato succubuerit, ab ordine ministerij subtrahatur.

Concil. Neocæsar. c. 10.

De eadem re. *Ex eodem Concilio.*

Concil. Neocæsar. c. 9. Burchard. lib. 2. c. 49. LXXXV. Presbyter si præoccupatus corporali peccato confessus fuerit de se quòd ante ordinationem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis propter studium bonum. Quòd si de se ipse non fuerit confessus, & argui manifestè nequiverit, potestati sui iudicij relinquatur.

De eadem re. *Ex canonibus Apostolorum.*

Canon. Apost. c. 25. Burchard. lib. 2. c. 189. lib. 37. c. 39. LXXXVI. Presbyter aut Diaconus qui in fornicatione aut perjurio aut furto aut homicidio captus est, deponatur, non tamen communionem privetur. Dicit enim scriptura: *Non iudicat Dominus bis.*

## I T E M.

LXXXVII. Sacerdotes Domini & Diaconi vel quicumque sacramenta contrectant, pudicitiae custodes ab uxoribus se abstineant.

## De eadem re.

Burchard. lib. 2. c. 118. LXXXVIII. Præterea, quod dignum & pudicum & honestum est, tenere Ecclesia omnino

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 65  
omnino debet, ut sacerdotes & Levitæ cum  
mulieribus non coëant, quia ministerij coti-  
diani necessitatibus occupantur, & scriptum  
est: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Do-  
minus Deus vester.*

De eadem re.

LXXXIX. De Presbyteris & Diaconi-  
bus divinarum legum est disciplina, ut incon-  
tinentes in officiis talibus positi omni honore  
ecclesiastico priventur, nec admittantur ad ta-  
le ministerium, quod sola continentia oportet  
impleri.

Burchard. lib.  
2. c. 117.

Item.

XC. Interdixit per omnia magna synodus  
non Episcopo, non Presbytero, non Diacono,  
vel alicui omnino qui in clero est, licere  
subintroductam habere mulierem, nisi fortè  
matrem aut sororem aut amitam vel eas tan-  
tùm personas quæ suspicionem suffugiunt.

Concil. Nic.  
c. 3.  
Burchard. lib.  
2. c. 109.

De eadem re. *Ex decretis Siricij Papæ*  
*tit. XII.*

XCI. Feminas verò non alias esse pati-  
mur in domibus Clericorum nisi eas tantùm  
quas propriè sola necessitudinis causa habitare  
cum iisdem synodus Nicæna permittit.

Decreta Siricij  
c. 12.  
Burchard. lib.  
2. c. 110.

De eadem re. *Ex Concilio Carthagenensi*  
*cap. XXV.*

XCII. \* Aurelianus Episcopus dixit: Ad-  
dimus, fratres carissimi, præterea, cùm de  
quorundam Clericorum, quamvis Lectorum,

\* Aurelius  
Concil. Car-  
thag. 6, c. 25.

E